

1220.

[m. 5.]

faciat cum parentibus ipsius Alicie, et stet recto si quis inde versus eum loqui voluerit. Et in hujus etc. Teste H. etc. apud Notingham, xxj die Junii, anno etc. quarto. Per eundem et consilium domini regis, ad petitionem regis Scottorum.

[m. 4.]

De quadam domo videnda. Rex Willelmo Basset, Galfrido de Monasteriis, Roberto filio Willelmi, et Radulfo le Poer, salutem. Audivimus quod Reginaldus Mare domum quandam fieri fecit in foresta de Shirewud apud Anelegh, adeo fortem et tali modo constructam quod posset inde casu fortuito partibus vicinis dampnum provenire. Et ideo vobis mandamus quod ad locum illum accedatis et videatis domum illam, et quo modo constructa est, et situm loci, et secundum quod inveneritis nobis de predictis in fide qua nobis tenemini, veritatem scire faciatis per litteras tuas sigillatas directas H. de Burgo, justiciario nostro. Teste ipso H. etc. apud Leicestre, xxij die Junii, anno etc. iiij. Per eundem et Wintoniensem episcopum.

De protectione. Galfridus de Costentin habet litteras de protectione usque ad etatem domini regis. Teste H. etc. apud Norhamton, xxv die Junii, anno etc. iiij.

De conductu. Maingodus de Chaundenler^{*} et Ricardus de Aleman-
nia, clericus, habent litteras de conductu in eundo ad comitem Albemarle, ut dicant ei, ex parte domini regis, quod reddat domino regi castra sua de Rokingham et de Salveia, et in morando et redeundo, duraturo usque ad horam primam die Sabbati proxima post festum Sancti Johannis Baptiste, anno regni domini H. regis iiij. Teste H. etc. apud Rokingham, xxvj die Junii.

De claustrum ville Salopie. Rex vicecomiti Salopie et omnibus de eodem comitatu, salutem. Sciatis quod concessimus burgensibus nostris Salopie, in auxilium ville Salopie claudende, ad securitatem et tuitionem ejusdem ville simul et partium adjacentium quod capiant singulis septimanis semel usque in quatuor annos a festo Sancti Johannis Baptiste, anno regni nostri quarto, de qualibet caretta sive carro ejusdem comitatus Salopie, ferente res venales in eandem villam Salopie, ibidem vendendas, unum obolum. Et de qualibet caretta sive carro alterius comitatus ferente res venales in eandem villam ibidem vendendas, unum denarium. Et de quolibet summagio rerum venalium ibidem vendendarum, preterquam de summagio busche, unum quadrantem. Et de quolibet equo, equa, bove et vacca venali illuc ductis ad vendendum, j obolum. Et de x ovibus, vel capris, vel porcibus venalibus illuc ductis ad vendendum, j denarium; et de v ovibus vel capris vel porcibus, j obolum. Et de qualibet nave veniente in eandem villam Salopie per aquam Sabine carcata rebus venalibus ibidem vendendis, iiij denarios. Ita tamen quod occasione illius concessionis nostre de hujusmodi caretis, carris, summagiis,

* The l is dotted underneath, as though to be deleted, but the transcript does not omit it.